



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 26. Classis in Africam trajectura excurrit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

## §. XXVI.

Sæcul. XVI.  
A.C 1560.*Classis in Africam trajectura ex-*  
*currit.*

Nihilominus insuperhabita omni, quæ *Thuan.l.c.*  
impendebatur, solertia, classis non-  
nisi prima Decembris die Anno mille-  
fimo quingentesimo quinquagesimo no-  
no excurrere poterat, eaque constabat  
tribus triremibus a summo Pontifice  
submissis, tredecim ab Auria instructis,  
septem Neapolitanis, decem Siculis, &  
quinque Melitenibus triremibus, quibus  
impoliti erant quadringenti Equites,  
& mille quingenti Equestris Ordinis  
milites præter unum minoris, & duo  
majoris formæ navigia. Advenerant  
Melitam omnes, hæ triremes, ex qui-  
bus tamen viginti duas remittere oportebat,  
ut navigia ob ventorum repugnantiam in  
littora relicta remulcis attraherent: Interea  
vero Hispani, cum in hac Insula hæ-  
rere cogentur, grafante lue magno numero  
conficiebantur, indeque sinister expeditionis  
successus timebatur: nihilominus Christiano-  
rum classis ineunte Mense Februario hoc  
anno supra millesimum quingentesimo se-  
xagesimo vela dabat, ac prope Gerbinam  
Insulam advenit; ibi enim Dragutes  
morabatur gravi implicitus bello ad-  
versus Schleichum Maurorum caput:  
Enim-



Sæcul. XVI.  
A.C. 1560. Enimvero si Hispani hac rerum oportunitate usi fuissent, cunctasque copias in terram exposuissent, hic Pirata omni ex parte invasus certe effugere haud potuisset, atque eo capto abs dubio etiam Tripolis fuisset occupata: verum illi duntaxat velitationibus tempus terrentes valido Turcarum agmini, quod in ejus opem accurrebat, se jungendi spatium indulgere. Postea classis rursus vela fecit, atque Auria non nisi longo post tempore animadvertit, quod Draguten capiendi occasionem neglexisset. Denique cum propter adversam ventorum vehementiam Christiana classis ad Palum Insulam centum quinquaginta miliaribus Tripoli distitam remanere cogeretur, ibidem quamplurimi milites peste perierunt, ac prætoria navis, quæ vario commeatu onerata erat, Kerkenum propulsata fuit; quapropter Auria ad Gerbin Insulam reverti statuit.

## §. XXVII.

*Gerbis Insula a Christiana classe ibidem subsistente capta.*

Quamprimum classis Gerbin appulsa erat, Auria confestim Mauros Turcarum hostes, quotquot in Hispano exercitu erant, in terram exponi iussit, ut vias, per quas ab Insula ad continentem